

R^{me} Pater ac Ill^{me} Domine

Ord. Præm.

Statueram Suae Sanctitatis pedibus provolutus, deplorandum ordinis nostri statum et morbum, qui est ad mortem, aperire ac remedium praesens, sub Vestrae R^{mae} P. patrocínio, supplex petere, sed
5 prohibuit R^{dus} D. Viardinus, qui aversum esse ab huiusmodi patrocínio R^{mae} P.V. animum significavit, paratissimum tamen ad ordinis nostri negotia promovenda, praecipue vero ad tuendam et propagandam regularem disciplinam, in monasterium, cui indignus praesum, introductam. Quod posterius tanto me gaudio cumulavit, ut conceptum
10 dolorem ex generalis protectionis, ad quam tendebam, repulsa plane sustulerit. Quidni enim plurimum gaudeam, cum liberaliter mihi oblatam stabiliendae disciplinae praedictae commoditatem, quam avide toto decennio quaesivi, videam? Benedictus Deus qui suorum lacrymas non despexit, et ad auxiliatrices manus ferendas pusillo suo
15 gregi Mariano, de conservatione ac propagatione disciplinae restituae pene diffidenti R^{mam} P.V. et hominem cuius opera in reformationis piscinam mitteremur, et in ea non obstantibus falsis fratribus permaneremus, pro sua consueta bonitate concessit. Benedicta etiam R^{ma} P.V. quae inter tam seria, quibus quotidie pro totius ecclesiae militantis salute detinetur, etiam parvitatibus nostrae curam
20 suscipere dignatur. Quod pro tam benigna in nos misellos animi propensione rependamus, non habemus. Deus Optimus Maximus qui calicem aquae frigidae irremuneratum esse non patitur, tantae charitatis affectum non dedignetur, et qui R^{mae} P.V. dedit velle ad nobis optulandum, donet et ea quae praedictus R^{dus} Dominus Viardinus omnium
25 nostrum nomine eidem proponet, foeliciter perficere. Datae Mussiponti die sexto Decembris 1609.

Ill^{mae} ac R^{mae} P.V.